

“Entrance  
Antiphon”

438

Hebdomada decima sexta per annum

“Monday”

Feria secunda

Ant. ad introitum

Ps 53, 6. 8

Ecce Deus ádiuvat me,  
et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.  
Voluntárie sacrificábo tibi,  
et confitébor nómini tuo, Dómine,  
quóniam bonum est.

Collecta

Propitiáre, Dómine, fámulis tuis,  
et cleménter grátia tuæ super eos dona múltiplica,  
ut, spe, fide et caritáte fervéntes,  
semper in mandátis tuis vígili custódia perseverént.  
Per Dóminum.

“Year 1”

Anno primo

Lectio prior

“First Reading”

*Scient quia ego sum Dominus,  
cum glorificatus fuero in Pharaone.*

Léctio libri Exodi

14, 5-18

In diébus illis:

Nuntiátum est regi Ægyptiórum quod fugísset pópulus; immutatúmque est cor Pharaónis et servórum eius super pópulo, et dixerunt: « Quid volúimus fácere, ut dimitterémus Israel, ne servíret nobis? »

Iunxit ergo currum, et omnem pópulum suum asúmpsit secum. Tulítque sexcéntos currus eléctos, quidquid in Ægýpto cúrruum fuit, et duces totíus exércitus.

Induravitque Dóminus cor Pharaónis regis Ægýpti, et persecútus est fílios Israel; at illi egréssi erant in manu excélsa.

Cumque persequeréntur Ægýptii vestígia præcedéntium, reperérunt eos in castris super mare; omnis equitátus et currus Pharaónis et univérsum exércitus erant in Phiháhiroth contra Beélsephon.

Cumque appropinquásset Phárao, levántes fílii Israel óculos, vidérunt Ægýptios post se et timuérunt valde; clamaverúntque ad Dóminum et dixerunt ad Móysen:

« Fórsitan non erant sepúlra in Ægýpto; ídeo tulísti nos ut morerémur in solitúdine. Quid hoc fácere voluísti, ut edúceres nos ex Ægýpto?

Nonne iste est sermo, quem loquebámur ad te in Ægýpto dicéntes: “ Recéde a nobis, ut serviámus Ægýptiis? ” Multo enim mélius erat servíre eis, quam mori in solitúdine ».

Et ait Móyses ad pópulum: « Nolíte timére; state et vidéte magnália Dómini quæ factúrus est hódie; Ægýptios enim, quos nunc vidétis, nequáquam ultra vidébitis usque in sempitérnum. Dóminus pugnábit pro vobis, et vos tacébitis ».

Dixitque Dóminus ad Móysen: « Quid clamas ad me? Lóquere fíliis Israel ut proficiscántur. Tu autem éleva virgam tuam, et exténde manum tuam super mare, et dívide illud; ut gradiántur fílii Israel in médio mari per síccum.

Ego autem indurábo cor Ægyptiórum ut persequántur vos; et glorificábor in Pharaóne et in omni exércitu eius et in cúrribus et in equítibus illíus.

Et scient Ægýptii quia ego sum Dóminus, cum glorificátus fúero in Pharaóne et in cúrribus atque in equítibus eius ». — Verbum Dómini.

“Responsorial Psalm”  
(Year 1)

440

Hebdomada decima sexta per annum

Psalmus responsorius Ex 15, 1-2. 3-4. 5-6 (R.: 1 a)

R. Cantemus Dómino: glorióse enim magnificátus est.

1 Cantemus Dómino: glorióse enim magnificátus est;  
equum et ascensórem deiécit in mare.

2 Fortitúdo mea et laus mea Dóminus,  
et factus est mihi in salútem.  
Iste Deus meus, et glorificábo eum;  
Deus patris mei, et exaltábo eum. R.

3 Dóminus quasi vir pugnátor;  
Omnípotens nomen eius.

4 Currus Pharaónis et exercítum eius proiécit in mare;  
elécti príncipes eius submérsi sunt in mari Rubro. R.

5 Abýssi operuérunt eos;  
descendérunt in profúndum quasi lapis.

6 Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine;  
déxtera tua, Dómine, percússit inimícum. R.

“Year 2”

Anno secundo

Lectio prior

“First Reading”

*Indicabo tibi, o homo, quid Dominus  
requirat a te.*

Léctio libri Micháæ prophétæ 6, 1-4. 6-8

Audíte quæ Dóminus lóquitur: « Surge, conténde iudício advérsus montes, et áudiant colles vocem tuam. Audiant montes iudícium Dómini, et fórtia fundaménta terræ; quia iudícium Dómini cum pópulo suo et cum Israel diiudicábitur.

Pópule meus, quid feci tibi? aut quid moléstus fui tibi? Respónde mihi. Quia edúxi te de terra Ægýpti, et de domo serviéntium liberávi te, et misi ante faciém tuam Móysen et Aaron et Mariám? »

Quid dignum offeram Dómino? Curvábo genu Deo excélsio? numquid offeram ei holocautómata et vítulos annículos?

Numquid placári potest Dóminus in mílibus aríetum, aut in multis mílibus hircórum pínguium? Numquid dabo primogénitum meum pro scélere meo, fructum ventris mei pro peccáto ánimæ meæ?

Indicábo tibi, o homo, quid sit bonum et quid Dóminus requírat a te: Utique fácere iudícium et dilígere misericórdiam, et sollicitum ambuláre cum Deo tuo.

Verbum Dómini.

**“Responsorial Psalm”**  
**(Year 2)**

**Psalmus responsorius**

**Ps 49, 5-6. 8-9. 16 bc-17. 21 et 23 (R.: 23 b)**

**R.** Qui immaculátus est in via,  
osténdam illi salutáre Dei.

**5** « Congregáte mihi sanctos meos,  
qui disposuérunt testaméntum meum in sacrificio ».  
**6** Et annuntiábunt cæli iustítiam eius,  
quóniam Deus iudex est. **R.**

**8** « Non in sacrificiis tuis árguam te;  
holocáusta enim tua in conspéctu meo sunt semper.  
**9** Non accípíam de domo tua vítulos,  
neque de grégibus tuis hircos. **R.**

**16** Quare tu enárras præcépta mea,  
et assúmíis testaméntum meum in os tuum?  
**17** Tu vero odísti disciplínam,  
et proiecísti sermónes meos retrórsum. **R.**

**21** Hæc fecísti, et tácuí.  
Existimásti quod eram tui símilis:  
árguam te, et státuam illa contra fáciem tuam.

23 Qui immolábit sacrificium laudis,  
honorificábit me,  
et qui immaculátus est in via,  
osténdam illi salutáre Dei ». R.

Alleluia

Ps 94, 8 ab

R. Allelúia. V. Hódie, nolíte obduráre corda vestra,  
sed vocem Dómini audíte.  
R. Allelúia.

“Gospel Reading”  
(Years 1+2)

Evangelium

*Regina austri surget in iudicio cum generatione ista.*

✠ Lécio sancti Evangélii secúndum Mattháeum

12, 38-42

In illo témpore:

Respondérunt Iesu quidam de scribis et Pharisáeis dicétes: « Magíster, vólumus a te signum vidére ».

Qui respóndens ait illis:

« Generátio mala et adúltera signum requírit, et signum non dábitur ei nisi signum Ionæ prophétæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diébus et tribus nóctibus, sic erit Fílius hóminis in corde terræ tribus diébus et tribus nóctibus.

Viri Ninivítæ surgent in iudicio cum generatióne ista et condemnábunt eam: quia pæniténtiam egerunt in prædicatióne Ionæ, et ecce plus quam Iona hic.

Regína austri surget in iudicio cum generatióne ista et condemnábit eam: quia venit a fínibus terræ audíre sapiéntiam Salomónis, et ecce plus quam Sálomon hic ».

Verbum Dómini.

**Super oblata**

Deus, qui legálium differéntiam hostiárum  
uníus sacrificií perfectióne sanxísti,  
áccipe sacrificium a devótis tibi fámulis,  
et pari benedictióne, sicut múnera Abel, sanctífica,  
ut, quod sínguli obtulérunt ad maiestátis tuæ honórem,  
cunctis proficiat ad salútem.  
Per Christum.

**“Communion  
Antiphon”**

**OR:**

**“Communion  
Antiphon”**

**Ant. ad communionem**

**Ps 110, 4-5**

Memóriam fecit mirabílium suórum  
miséricors et miserátor Dóminus;  
escam dedit timéntibus se.

**Vel:**

**Ap 3, 20**

Ecce sto ad óstium et pulso, dicit Dóminus:  
si quis audíerit vocem meam, et aperúerit mihi iánuam,  
intrábo ad illum, et cenábo cum illo, et ipse mecum.

**Post communionem**

Pópulo tuo, quásumus, Dómine, adésto propítius,  
et, quem mystériis cæléstibus imbuísti,  
fac ad novitátem vitæ de vetustáte transíre.  
Per Christum.